

NOCTUINUS

# LINGUA LATINA

W. H. D. ROUSE

S. O. ANDREW

NOCTUINUS


R. B. APPLETON

Education Library

F03.  
14  
RPP

OXONII

E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO



TEMPLUM RÖMĀNUM

---

LINGUA LATĪNA

---

# NOCTUĪNUS

*Dramatic Dialogues*

BY

R. B. APPLETON, M.A.


*Chief Classical Master at the  
Perse School*

OXFORD

AT THE CLARENDON PRESS

1926

011975711



PRESS MARK.


Press Letter. F  
Shelf No. 14  
Book No. APP

Edu

1/9 out

PRES

Press Lett.  
Shelf No..  
Book No..



TEMPLUM RÖMĀNUM

---

LINGUA LATĪNA

---

# NOCTUĪNUS

*Dramatic Dialogues*

BY

R. B. APPLETON, M.A.

*Chief Classical Master at the  
Perse School*

OXFORD

AT THE CLARENDON PRESS

1926

## PREFACE

THESE little pieces are included in the Lingua Latina series in response to the repeated demand for more plays of the type of *Ludi Persici*.

The book is intended for one term's work only, for the author feels very strongly that the pupil should not be fed upon pre-digested food for longer than is necessary. The existence of this book will be justified if it helps to facilitate and to accelerate the pupil's progress when he comes to read classical writers themselves.

Sincere thanks are due to the Reader of the Clarendon Press, whose vigilance has saved me from several linguistic indiscretions, also to my colleague, Mr. F. H. Hambleton, for the sketches used in making the tail-pieces, and to my friend and Head Master, Dr. W. H. D. Rouse, for his kindness in reading the proofs and making many suggestions.

R. B. A.

Oxford University Press  
London Edinburgh Glasgow Copenhagen  
New York Toronto Melbourne Cape Town  
Bombay Calcutta Madras Shanghai  
Humphrey Milford Publisher to the UNIVERSITY

Printed in England at the OXFORD UNIVERSITY PRESS  
By John Johnson Printer to the University

## CONTENTS

	PAGE
Alvārium . . . . .	11
Camēlus . . . . .	16
Equōrum mangō . . . . .	21
Pilulae . . . . .	24
Porcus . . . . .	30
Gruēs . . . . .	33
Sacerdōs . . . . .	37
Rūsticus . . . . .	44
Valētūdinārium . . . . .	49
Simulācrum . . . . .	52

## LIST OF ILLUSTRATIONS

	PAGE
Templum Rōmānum. [Photograph Brogi.] . . . . .	<i>Frontispiece</i>
Māgna erit turba variōrum hominum. [Photograph Alinari.] . . . . .	10
Cōnsul ad templum dēdicandum prōgreditur. Duo lictōrēs fascēs in umerīs portant . . . . .	13
Fascēs . . . . .	13
Mercātōrēs per dēserta Libyae iter mercandī causā faciunt. [Photograph by Mr. R. Gorbold.] . . . . .	17
Camēlus onerātur . . . . .	18
Spādix ex Boeōtiā allātus . . . . .	22
Rūs quod laudat Horātius. [From the painting by Edward Lear.] . . . . .	24
Pauper. [Capitoline Museum.] . . . . .	25
Dives quīdam in dēversōriō recumbit . . . . .	29
Dominus Noctuīnī aprum interficit. [Photograph Alinari.] . . . . .	35
Māgnificentia aedium rēgiārum . . . . .	39
'Sunt quōs curriculō pulverem Olympicum collēgisse iuvat, mētaque fervidīs ēvitāta rotīs' . . . . .	40
Pontifex Māximus . . . . .	43
Haedus rūsticī . . . . .	45
Ego equum tenēbō . . . . .	47
Advenīte, puerī! Quadrīnum dēprōmite Falernum . . . . .	54

## INTRODUCTION

THESE 'dramatic dialogues' are an attempt to provide interesting reading in Latin for the second year. They are meant to be read in one term, preferably the third term of the year. The second term may be occupied with *Ludi Persici*, in which there is more action, and therefore more joy for small boys, than in the present volume.

After the pieces have been read and explained in the usual manner, the teacher should consistently—after the reading of each piece—insert a whole lesson of oral practice, by question and answer, upon this or that construction involved. If this be consistently done, a good class will become master of the whole of the regular Latin syntax in a comparatively short space of time. But without oral practice there is no magic virtue in this book.

R. B. A.



Magna erit turba variorum hominum

## ALVARIUM.

### DRAMATIS PERSONAE.

Nocturnus (puerulus). Māter eius. Fūrēs duo.

SCAENA PRIMA.—*Cubiculum Nocturni.*

*Māter.* [Prīmā lāce cubiculum intrat.] Expergiscere,  
Noctūne! Sōl iam oritur, et hodiē tempore surgendum  
est tibi sī ad templum dēdicandum īre vīs. Fēstīnā  
igitur.

*Nocturnus.* [In lectō cubāns.] Quod templum dīcis,  
māter?

*Māter.* Nōnne meministī? Herī tibi dīxī fore ut hodiē  
dīvō Augustō templum dēdicārētur, et pompa spectare  
dīxistī tē velle. Tē adfore prōmīstī, sī modo māne sur-  
rēxiſſes.

*Nocturnus.* [Ē lectō salit.] Meminī nūnc! Quālis erit  
pōmpa? Aderuntne militēs, et flāminēs capite vēlāto?

*Māter.* Aderunt. Nam militēs turbam adstantium  
cohībēbunt nē in aedem irruant, et flāminēs sacra facient.  
Tunicam igitur indue, nē diūtius nūdus morēris. Gravē-  
dinem oportet cavēre.

*Nocturnus.* [Tunicam induēns.] Euge! Euge! Mox parātus  
erō. Dic mihi, sōdēs, quid praetereā spectātūrī sīmus.

*Māter.* Magna erit turba variōrum hominum, nam  
multī undique convenient saltandī bibendīque causā.  
Sed collum nōn lāvistī. Fēstīnā lentē, ut prōverbium.  
Sordidum puerulum mēcum nōn addūcam. Nunc comās  
pectē, nē incomptus esse videāris.

*Nocturnus.* Iam parātus sum. Statim proficēamur.

[Exeunt unā.]

SCAENA SECUNDA.—*In forō.*

*Noctuinus.* O māter, spectā militēs, spectā sacerdōtes ! Ut gaudeō quod mē addūxistī ! Qui sunt illī qui bigis vehuntur ?

*Māter.* Flaminēs sunt, quibus praeest Pontifex Maximus. Sed taceē, cōnsul ipse iam ad templum dēdicandum prōgreditur.

*Noctuinus.* Dic, quaeſō, qui sunt illī qui cōnsulem antecēdunt ? et quid in umeris portant ?

*Māter.* Lictōrēs sunt qui fascēs, ut appellant, ante cōnsulem portant. Hī fascēs, ut vidēs, multae virgæ sunt inter se alligātæ et secūrī circumdatae. Lictōrēs eos ante cōnsulem portant, signum potestatīs cōsulāris; cōsulī enim licet maleficōs virgīs caedere, nec nōn secūrī obtruncāre.

*Noctuinus.* Quid facit ille homō qui baculum per aera hūc illūc agitat ?

*Māter.* Ille est augur. Lituum manū tenet, quo regiōnem ad templum dēdicandum dēterminat. Sed vereor nē ritūs sollemnis tē taedeat. Ad laevam eāmus, ubi plēbs carmine et vīnō diem fēstum celebrat.

[*Ad aliam partem fori prōcedunt ubi summā laetitiā, magnis clāmōribus rēs geruntur.*]

*Noctuinus.* Audi, māter, carmen cantant quod ludi magister nōbis discipulis herī ēdiscendum dedit :

‘Nunc est bibendum, nunc pede liberō pulsanda tellūs . . . ; sed ubi es, mea māter, venī, hūc, hūc, tē vocō !

[*Noctuinus mātrem nēquīquam diū quacrit. Tandem in proximum hortum vagātus, ubi multa alvāria stābant, quōrum nōn nulla vacua erant, paululum obdormīre cōstituit et in vacuum alvārium irrēpit.*]



Cōsul ad templum dēdicandum prōgreditur. Duo lictōrēs fascēs in umeris portant



Fascēs

SCAENA TERTIA.—*In hortō.*

[*Noctuīnus in alvāriō dormit: mediā nocte duo fūrēs mellis fūrandī causā hortūm intrant.*]

*Fūr primus.* Plūrima adsunt alvāria. Optima spolia capiēmus.

*Fūr alter.* Sed cautē agendumst. Experiāmur quid optimum sit alvārium.

*Fūr primus.* Audīvi equidem gravissimum alvārium esse optimum.

*Fūr alter.* Rēctē dīcis. Invicem igitur singula tollāmus ut quid gravissimum sit inveniāmus.

[*Fūrēs alvāria invicem tollunt: tandem ad alvārium in quō Noctuīnus latet pervenient.*]

*Fūr primus.* Gravissimum est hoc; auferāmus igitur.

*Fūr alter.* Bene! Facile inter nōs portābimus. Prōcēde tū, ego sequar.

[*Fūrēs alvārium sublātum auserunt: mox Noctuīnus, manū ex alvāriō extēntā, capillum fūris priōris vchementer vellit.*]

*Fūr primus.* In malam rem, furcifer! Cūr capillum mihi vellis?

*Fūr alter.* Satisne sānus es? Quōmodo capillum tibi vellere possum? Ambābus manibus ūtor ut alvārium portem.

[*Noctuīnus, manū iterum extēntā, capillum posteriōris fūris vellit.*]

*Fūr alter.* Dī tē perdant, improbissime! Primō dīcis mē capillum tibi vulsisse, et nunc tū ipse capillum mihi vellis.

*Fūr primus.* Egōne capillum tibi vellō? Mēntīris sceleratissime! Alvārium ita portō ut collum paene

frangam; vix possum viam ante oculōs meōs vidēre, sed dīcis mē capillum tibi vellere.

[*Noctuīnus capillum priōris fūris iterum vellit.*]

*Fūr primus.* [Alvāriō depositō.] Corvōs in cruce pascās, pessime! Accipe calcem!

[*Rixa inter fūrēs oritur: dum inter sē pūgnant, Noctuīnus ex alvāriō clāpsus domum refugit.*]



## CAMĒLUS.

## DRĀMATIC PERSōNAE.

Noctuīnus (adulēscēns). Mercātor. Praetor.  
Causidicus.

SCAENA PRIMA.—*In Aegyptō.*

[Noctuīnus per vastas sōlitūdinēs Aegypti iter faciēns  
mercātōri miseriis confectō occurrit.]

Noctuīnus. Salvus sis, amīce. Nōnne camēlum  
amīsistī ?

Mercātor. Dī tē ament, advena. Āmīst quidem, itaque  
dolore cōfectus sum. [Pectus plangit.] Ō mē miserium,  
infēlicissimum ! Mala fāta semper mē sequuntur;  
Mercurius numquam mē adiuvat ! Male mihi cessērunt  
hesterna negōtia ; hodiē ipsum camēlum āmīst. Mānsuē-  
tissimus ac mihi cārissimus erat camēlus. Ō mē mise-  
rum ! Nūsquām gentium aliis erat tam bonus camēlus.  
Ō mī camēle, numquam anteā percēpī quam cārus mihi  
sis. Sed dīc, amābō, advena, ubi vīderis.

Noctuīnus. Nōnne alterō oculō captus erat ?

Mercātor. Ita enim vērō. Multis abhinc annīs, dum  
per dēserta Libyae iter mercandī causā facimus, vespa  
aculeō eum pupugit, ex quō alterō oculō est captus. Sed  
dīc, amābō, ubi sit.

Noctuīnus. Nōnne alterō pede claudicābat ?

Mercātor. Ita enim vērō. Lapillus ungulae īfixus olim  
pedem volnerāvit.

Noctuīnus. Nōnne ūnus ei dēerat dēns ?

Mercātor. Meum ecastor camēlum vīdistī. Dīc, obsecrō,  
ubi vīderis.

Noctuīnus. Nōnne ā sinistrā melle, frūmentō ā dextrā  
onerātus erat ?



Mercātōrēs per dēserta Libyac iter mercandī causā faciunt.

Mercātor. Nōn dubium est quīn meus sit camēlus. Mē  
eum perdidisse putāvī, sed ut gaudeō quod invēnisti ac  
mihi reddere potes !

Noctuīnus. Reddere tibi nōn possum, namque camēlum  
tuum numquam vīdi.

*Mercator.* Mentiris, improbissime! Quōmodo omnia dē camēlō nōssēs sī numquam vīdissēs?

*Noctūnus.* Mē omnia nōsse dē camēlō nōn negāvī, sed vīdisse modo. Quōmodo, quaeris, hoc fierī potest? Nihil simplicius est, nam ā puerō oculis meīs ūtī soleō.



Camēlus onerātur.

*Mercator.* Verba mihi dās, pessime. Prīmō negās tē vīdisse, deinde tē oculis ūtī cōnfiteris. Crēdō tē camēlum nōn modo vīdisse sed etiam interfecisse et gemmās quās portābat abstulisse.

*Noctūnus.* Ut iam dīxi, neque camēlum neque gemmās umquam vīdi.

*Mercator.* Fābulae! Neque ego neque quisquam aliis tibi crēdet. Ad praetōrem tē rapiam et tē dē fūrtō accūsābō. Camēlum interfecisti gemmāsque abstulisti. Venī mēcum, rem apud praetōrem agēmus. [Exeunt.]

SCAENA SECUNDA.—*Tribūnal prætōris.*

[*Adsunt mercator, Noctūnus, prætor, causidicus, iūdicēs.*

*Mercator* est pēcitor, quī *Noctūnum* accūsat, sed causidicus oratiōnem prō *mercātōre* habet. *Noctūnus* reus ipse sē dēfendit. *Prætor* togā *prætextā* amictus in sellā curiūlī sedet, iūdicēs in subsellīs.]

*Prætor.* Omnes, quī dēbent, videntur adesse. Quis est petitor quī reum aceūsat?

*Mercator.* Ego petitor sum; sed causidicus mihi adest quī oratiōnem prō mē habeat.

*Prætor.* Incipiat sine morā.

*Causidicus.* Sī quis umquam, iūdicēs, scelus impudenter admīsit, hie admīsit quem ante oculōs vidētis, quī camēlum clientis meī clam abdūxit, interfecit, cēlavīt, ut gemmās eās, quās portābat camēlus, grātis adipiscerētur. Quōmodo, quaeritis, hoc probāre possum? Nullōs testes, nullōs arbitrōs, quī rem fierī vīdērunt, adhibeō. Sed cūr opus est arbitris? Reus ipse suīs verbīs, ōre suō, sē sceleris arguit. Priusquam vel ūnum verbum ā cliente meō est dictum, hie in vastīs sōlitūdinibus Aegyptī ei occurrit, certiōrem clientem meum facit eum camēlum āmīssisse, caecum alterō oculō camēlum esse affirmat, alterō porrō pede claudicāre, dentem ūnum dēesse, frūmentō prætereā et melle onerātum esse ultrō addit. Quae singula cōgnōsse numquam potuisset nisi camēlum vīdīset. Reum igitur camēlum vīdisse reus ipse probāvit; negāvit tamen posteū. Prīmum advertite mendācium. Idem negāvit sē camēlum interfecisse, sē gemmās abstulisse negāvit. Cūr secundō et tertīo mendāciō fidem habētis, cum prīmō crēdere recūsātis? Ipsī vōs interrogāte, iūdicēs, deinde ex animī sententia respondēte, atque hunc suppliciō dīgnō afficite. Dīxi.

*Prætor.* Audiāmus, sī quid reū dicendum est.

*Noctuīnus.* Carmen fortasse, iūdices, Horātiī poētāe audīvistis quod hunc in modum incipit:

Iūstum āc tenācem prōpositi virum  
Nōn cīvium ārdor prāva iubentium,  
Nōn voltus instantis tyrannī  
Mente quatit solidā, neque Auster,  
Dux inquiētī turbidus Hādriāe,  
Nec fulminantis māgna manus Iovis;  
Sī frāctus illābātur orbis,  
Impavidum ferient ruīnae.

Sic ego, vir iūstus āc innocēns, nē Iovis quidem fulmina timeō, nēdum causidič hūius qui prō mercātōre orātiōnem habuit. Cūnctīs licet rhētoricae artibus utātur; fronte contractā licet mē aspiciat, mē

‘ Nōn voltus instantis tyrannī  
Mente quatit solidā.’

Mē innocentem esse scīo; mēns sībi cōnsīcia rēctī nihil malī timet. Quā rē vōbīs probāre mē innocentem esse impavidus cōnor. Omnia rē vērā ipsī mercātōrī iam exposuī, cum mē oculis ūtī a puerō solēre dīxī. Mercātōr scīlicet mihi nōn erēdit, et ipse cōnfiteor eum nōn sine causā mē suspicārī. Sed nunc operam dō ut vōbīs saltem, iūdices, mē vēra loquī persuādeam. Nam oculis ūsus mē cursum camēlī vagantīs incidisse scīebam, quia nūlla hominis vestīgia vīdī. Oculī ūsus camēlū alterō oculō esse captum percipiebam, quia herbās utrimque nōn momorderat, atque ubicumque momorderat aliquantulum herbae in mediō morsū restābat, ex quō facile erat cōnicere ūnum dentem ei dēesse. Oculī similiter ūsus camēlū claudicāre intellēxi, quia alterna vestīgia humī nōn clārē impressa appārēbant. Fornīcae dēnique ā dextrā frequentēs, ā sinistrā muscae, certiōrem mē fēcerunt camēlū et frūmentum et mel portāre. Quae cūncta

mercātōrī dicere poteram, quamquam camēlū ipsum numquam vīderam, sed quia oculis meīs, ut saepenumerō dīxī, ūtī solebam. Dīxī.

[Iūdices sententiās dant: omnīum cōsēnsū *Noctuīnus* absolūtus est.]

## EQUŌRUM MANGŌ.

### DRĀMATIS PERSŌNAE.

*Noctuīnus* (adulēscēns).      *Mangō* equōrum.      *Caupō*, tēstis.

[*Noctuīnus* equō vectus dēversōrium adit, et intrat.]

*Caupō*. Salvus sīs, advena. Longumne fēcisti iter?

*Noctuīnus*. Salvē tū quoque. Trīgintā modo mīlia passuum vectus aliquantulum bibere cupiō, priusquam prōgrediar, nam sī quis alius sitiō.

*Caupō*. Num hodiē prōgredī in animō est? Nōnne equus iam fessus est?

*Noctuīnus*. Certum est mihi; Rōmam pervenīre hodiē necesse est; neque timeō nē quid damnī accipiāt equus. Sexāgintā mīlia passuum intrā octō hōrās facile mētīrī potest. Cūrā faenum et aquam ei in stabulō adhibeās. Bonus equus bonō cibō dīgnus est. Mihi quoque pōtum adfer.

[Exit *Caupō*.]

*Mangō*. [*Noctuīnum* alloquitur.] Veniam, sōdēs, mihi dā quod dē equō tē percontor. *Mangō* sum, qui equōs quam plūrimōs emere cupiō. Tuumne vendere vīs?

*Noctuīnus.* Minimē vērō. Similem eī nōn inveniās etiam sī tōtum orbem terrārum perlustrēs.

*Mangō.* Itane vērō? Qualis est colōris et unde prōgenitus?

*Noctuīnus.* Spādīx scilicet, ex Boeōtiā allātus; ibi enim Glaucus, ut āiunt, hūmānā carne equās alere solēbat, quō ferōciōrēs essent, ē quibus equis spādīx meus est prōgenitus.



Spādīx ex Boeōtiā allātus.

*Mangō.* Mīra nārrās. Sed nōnne rē vērā mihi vendēs? Multum dabō.

*Noctuīnus.* [Importūnitāte hominis incēnsus.] Vendere, ut iam dixī, nōlō. Dabō tamen tibi sī conditiōnēs meās accipere vīs.

*Mangō.* Quālēs, quaesō, conditiōnēs dīcis?

*Noctuīnus.* Equum meum tibi grātis dabō, sī tria verbera ā mē accēperis.

*Mangō.* Mīras nīmīrum conditiōnēs fers. Sed eās nōn respuō.

*Noctuīnus.* Tēstem habēre dēbēmus. [Caupōnem vocat, cuī conditiōnēs pactī expōnit.]

*Caupō.* Ego tēstis sum equum proprium fore mangōnis cum tria verbera ā tē accēperit.

*Noctuīnus.* [Flagellum capit et mangōnem alloquitur.] Primamne plāgam iam accipere vīs?

[Mangōne cōsentiente Noctuīnus summīs vīribus plāgam dat.]

*Mangō.* Ōh, vae tergō meō! Ōh! Ōh! Ut validus es lōrārius!

*Noctuīnus.* Ut eiulās! Sed vīsne secundam plāgam statim accipere?

[Mangōne iterum cōsentiente, Noctuīnus etiā māiore vī plāgam dat.]

*Mangō.* Iūppiter! Excrucior! Ōh! Ōh! tergum meum! Vix stāre possum prae dolōre. Sed tertiam, obsecrō, statim mihi dā.

*Noctuīnus.* Minimē verō. Nam sī tertiam haud dederō, equus erit meus.

## PILULAE.

## DRAMATIS PERSONAE.

Noctuīnus (iuvensis). Pauper. Caupō. Dives  
quīdam.

## SCAENA PRIMA.

[*Noctuīnus rūrī ambulāns paupcrī cūdam occurrit.*]

*Noctuīnus.* Ut agri hodiē rident! Sol in caelō  
nitet, pīplant avēs, rīvī fluentēs susurrant. Quis in



Rūs quod laudat Horatius.

oppidō habitāret, sī rūrī licēret? Nōn male dicit  
Horatius:

‘Beatus ille qui procul negōtiis  
ut pīsea gēns mortaliūm,  
paterna rūra bōbus exerceſt suis,  
solūtus omni faenore.’

Sed quis hic viātor? Miserrimus vidētur esse. Heus tū  
salvē! Quid tibi reī est?



Pauper

*Pauper.* Salvē! Nōn bonō sum animō. Iam duodecim mīlia passuum ambulāvī; est mihi uxor domī, septemque līberī quī omnēs cibō carent, neque ipse hōs duo diēs quicquam ēdī.

*Noctuīnus.* Pecūniām adipīscī vīs? Nihil facilius est.

*Pauper.* Irrīdēs mē, domine. Semper lūdibriō sum dīvitibus.

*Noctuīnus.* Neque tē irrīdeō, neque dīves sum. Sed sī pecūniām adipīscī vīs, libenter tibi dīcam quid sit faciendum.

*Pauper.* Velim dīcās, domine. Nam ego sī quis aliis pecūniā egeō.

*Noctuīnus.* Nōn diūtius egēbis, nam sī praeecepta mea fidēliter secūtūs eris, centum dēnāriōs tibi dabō.

*Pauper.* Iūppiter! Sī centum dēnāriōs dabis in caelum rībō. Dīc modo quid iubeās.

*Noctuīnus.* Animum igitur attende! Nōn procul distat hinc oppidum quoddam. Ad hoc oppidum prōgredere, et cum intrāveris, ad optimum dēversōrium tē cōfer. Cēnam iubē appōnere sumptuōsam; deinde cum cēnāveris simulā tē aegrōtāre. Ego tunc intrābō, tū autem nōlī mē agnōscere, sed omnibus interrogatiōnibus meis ‘Ita’ responde.

*Pauper.* Mīra praecepis, neque intellegō quōmodo pecūniām adipīscī hōc modō possim. Sed faciam, sī ita iubēs.

*Noctuīnus.* Cūrā faciās. Ego pecūniām tibi dabō.

[*Pauper prōgreditur.* Noctuīnus in agrōs dīversus pilulās parvās ex argillā facit.]

SCAENA SECUNDA.—*In Dēversōriō.*

*Pauper.* [Sēcum loquitur.] Tam fessus sum itinere ut quō eam vix videam: sed nāsus mihi viam indicat, nam cibum olfaciō. [Clāmat.] Heus tū, ubi es? Licetne hīc cēnāre?

*Caupō.* Salvus sīs, advena. Cēnam modicam appōnere possum, sed asper est victus.

*Pauper.* Neque pāvōnem neque turdōs quaerō. Homō ēsuriēns būbulam nōn spēnit.

*Caupō.* Facēte dictum! Sed nōn omnīnō dēest penus. Sunt mihi ostreae, bōlētī, haedīna, olera multa. . . .

*Pauper.* Satis. Quae potes, statim appōne, namque māgnopere ēsuriō. Vinum quoque cūrā optimum adferās, aut Massicum aut Falernum.

*Caupō.* Statim appōnētur. Recumbe modo. [Exit.]

*Pauper.* [Convīvam alium aspīcit.] Salvē, domine! Nōnne bonum est cibum dēgustāre post longam famem?

*Dives quīdam.* [Quī cibum suūm timidē ac cautē tractat.] Bonum, crēdō, eis quī sine dētrīmentō geniō indulgēre possunt.

[*Caupō cēnam pauperi appōnit, qui avidē ēsse incipit.*]

*Pauper.* Geniō indulgēre hūmānum est, atque, ut dicit Terentius noster,

‘Nihil hūmānī aliēnum ā mē putō.’

*Dives.* Melius mē describunt ea quae Plautus ille dicit:

‘Ossa atque pellis sum miserā macritūdine;

neque umquam quicquam mē iuvat quod edō domī.’ Tē quoque, ut putō, mox paenitebit, sī cibum tam avidē dēvorāveris.

*Pauper.* ‘Cibō bonō nē pepercēris’ est prōverbium meum.

*Dives.* [Sēcum loquitur.] Dī tē servent! Ut invideō tibi ventrem!

[*Pauper quam celerrimē nullum ēst et multum bibit.*]

*Pauper.* Fortasse recte admonuisti, nam dolorem sentire incipiō. O ventrem meum! O! O! Ex ventre labore. Numquam antea dolores tam acutos passus sum.

[*Noctuinus intrat et divitem alloquitur.*]

*Noctuinus.* Aegrōtare videtur amicus tuus. Scisne quid rei sit?

*Dives.* Non amicus est meus; sed non difficile est dicere quamobrem aegrōtet. Nūperrimē gulam profundissimam explorare cōnābatur.

*Noctuinus.* O miserōs hominēs, qui gulae temperare non possint. Sed, ut accidit, medicus sum et optimas pilulas mēcum habeo. [*Pauperem alloquitur.*] Aegrōtasne?

*Pauper.* Ita.

*Noctuinus.* Nimisne ēdisti?

*Pauper.* Ita.

*Noctuinus.* Pilulam igitur absorbē. [*Pauper absorbet.*] Nonne iam meliore es valetudine?

*Pauper.* Ita enim vērō.

*Dives.* Mirabiles esse videntur pilulae quae morbum tam celeriter sanare possint.

*Noctuinus.* Mirabiles et pretiosissimae sunt. Si quis post cēnam unam modo hārum pilularum absorbet, quidlibet licet esse, et crudum pāvōnem, ut aiunt, ad balneum portare.

*Dives.* Magnopere velim habere. Quantū pilulas mihi vendes?

*Noctuinus.* Ut iam dixi, pretiosissimae sunt, sed quot mēcum habeo centum dēnariis tibi vendam, si rē vēra emere vīs.

*Dives.* Accipe centum dēnariōs. Pilulas mihi dā tanti emptās.

[*Dives cum pilulis abit. Noctuinus centum dēnariōs pauperi dat.*]



Dives quīdam in dēversōriō recumbit.

## PORCUS.

## DRAMATIS PERSONAE.

Avarus quidam. Nocturnus (iuvensis). Vicinus.

SCENA PRIMA.—*Villa avarii.*

*Avarus.* Scisne me porcum hodiē trucidasse?

*Nocturnus.* Si de sonō cōnicerem putārem tē sexcentōs  
trucidasse. Tota hara, tota villa, immō vērō tota vicinitās  
strepitū complebat. Nōn fieri poterat quin omnēs  
scirent aliquem porcum trucidare.

*Avarus.* Quā rē tē cōsulere velim. Nam mōs est apud  
nōs, si quis porcum trucidaverit, nōn nullam porcīnam  
vicinis distribuere, quod facere nōlō. Potes tū, qui  
saepenumerō callidum tē praestitisti, efficere ut nōn  
necessere sit porcīnam vicinis dare?

*Nocturnus.* [Sēcum submissā rōcc loquitur.] Num quis  
avārior umquam vixit? Nōn pudet eum tantae avāritiae!  
Rēctē dicit Vergilius noster

‘Quid nōn mortalia pectora cōgis,  
Auri sacra famēs?’

[Clārā rōce.] Dēliberātiōnem habet rēs, sed putō mē  
intellegere quid sit faciendum.

*Avarus.* Dic igitur, nam nōlō mē magis cruciat quam  
aliquid alīs dare.

*Nocturnus.* Cōnsilium excōgitāvī. Porcum ante aedēs ex  
uncō suspende. Omnes scilicet porcum percipient, atque tē  
porcīnam sibi esse datūrum putābunt. Tū tamen mediā  
nocte sōlus forās ēgredere et porcum clam aufer; deinde  
magnōs clāmōrēs fac et clāmā fūrem quemdam porcum  
abstulisse. Hōc modō omnēs intellegent tē porcīnam  
sibi dare nōn posse.

*Avarus.* Callidissimum hominem! grātiās tibi agō  
quam māximās. Quae praecepis faciam. [Exit.]

*Nocturnus.* Ut hominem ōdī! Spērō eum semper  
cōsilium meum optimum esse aestimatūrum!

SCENA SECUNDA.—*Extrā aedēs.*

[*Avarus* porcum ex uncō suspēnsūrus adfert.]

*Avarus.* Ut vicīnos fallam! Porcum hīc suspēnsū  
vidēbunt, et mē porcīnam sibi datūrum esse putābunt,  
sed verba eis dabō, nōn porcīnam. Hahahe! Ut callidum  
sē praestat Nocturnus. [Porcum ex uncō ante aedēs sus-  
pendit.] Sed tacendum est mihi. Aliquem appropinquantem videō.

*Vicinus* quidam. Salvus atque fortūnatus semper sis,  
amīce.

*Avarus.* Dī tē ament, vicīne. Rēctēne atque ut vīs  
valēs?

*Vicinus.* Satis bene, dīs grātiās agō. Grandem porcum  
tē trucidasse videō. Quantās habet pernās, quantum  
lāridī!

*Avarus.* Rēctē dīcis. Aliquantulum tibi crās dōnābō  
ut ipse fruāris. Nunc autem intus properō. Multa  
negōtia mihi sunt cōficienda. [Aedēs intrat.]

*Vicinus.* Mihi quoque abeundum est. Aliis dīcam  
quālem porcum trucidaverit. [Abit.]

[*Nocturnus* ex aedib⁹ cautē ēgreditur.]

*Nocturnus.* Nēmo adest. Nunc avārum illum docebō  
quam callidus sim. [Porcum ex uncō refixum aufert.]  
Cum forās mediā nocte vēnerit, ut porcum auferat, nihil  
inveniet. [Intus properat.]

*Nox dē caelō cadit: paulo ante medium noctem avārus appāret.*


*Avārus.* Fortūna mihi favet: tenebriōsa est nox, nec fulget lūna, nēmō mē vidēbit porcum auferentem. Immō vērō tam tenebriōsa est nox, ut nōn vidēre possim ubi sit porcus. Mīrum est; prō certō habeo mē hīc suspen-disse, sed nōn inveniō. [ *Loca propinqua pertractāns.* ] Deōs immortāles! Quid sentiō? Uncus est, ē quō porcum suspendī! Ēvānuit porcus! Ēvānuit poreīna. Ô pinguissimās pernās! [ *Vōcem tollit.* ] Advenīte vigilēs! Fūrēs, sicāriī adsunt! Porcus quem trucīdāvī ablātus est.

*Noctuīnus.* [ *Ā tergō intrat.* ] Bene rem geris. Sed māiōre vōce clāmā, quō melius tē audiant omnēs. Nisi omnēs audiārent, aliquis tē porcīnam sibi esse datūrum putābit.

*Avārus.* Tacē, furcifer. Fūrtum nōn simulō. Aliquis rē vērā porcum meūm fūratūs est.

*Noctuīnus.* Macte virtūte! Sed etiam māiōre vōce clāmā, nē quis ignōret.

[ *Avārus māximē irāscitur, et Noctuīnum in aedēs depellit.* ]



## GRUĒS.

## DRĀMATICI PERSŌNAE.

Noctuīnus (coquus). Dominus. Lesbia (dēliciae Noctuīni).

SCAENA PRĪMA.—*In culīnā.*

[ *Noctuīnus membra gruis ante ignem coquit.* ]

*Noctuīnus.* [ *Sēcum loquitur.* ] Ut hēllūatur dominus! Herī pāvōnem, hodiē gruem dēvorat. Gurges atque hēllūō, nātus abdōminī suō est!

*Lesbia.* [ *Intrat.* ] Salvē, cārissime! Odor mē ad culīnam tuam allēxit. Quid coquās nesciō, sed optimum olet.

*Noctuīnus.* Gruem coquō, quam dominus herī, dum venātur, cēpit.

*Lesbia.* Tōtam gruem dominō sōlī appōnēs?

*Noctuīnus.* Ita enim vērō. Prōfundissima est ei ingluīvēs.

*Lesbia.* Deōs immortāles! mox ei appōnēs aprum, animal, ut dicit Iuvenālis, ‘ propter convīvia nātūm’! Sed gruem hodiē nōn sōlus dēgustabit. Ego ipsa aliquantulum edam. Alterum crūs mihi appōne!

*Noctuīnus.* Num sāna es? Actum erit dē pelle meā, si alterum crūs tibi apposuerō. Quamquam hēllūō, nōn caecus est dominus meus.

*Lesbia.* Timēsne magis dominūm quam mē amās? Famē paene ēnecta sum, sed cibūm mihi praeberē recūsūs. [ *Sē lacrimāre simulat.* ]

*Noctuīnus.* Nōlī lacrimāre, per tē deōs ūrō. Aliquantulum tibi dabō.

[ *Alterum crūs gruiis Lesbiae dat, reliquā partē dominō appōnit.* ]

SCAENA SECUNDA.—*In triclinio.*

*Noctuīnus.* [cēnam appōnit.] Cēna hodiē fruēris, domine.  
Meliōrem gruem numquam coxi.

*Dominus.* Laetus audiō. Ēsuriō ut numquam anteā.

*Noctuīnus.* Omnia iam parāta sunt, domine. Nihil  
igitur obstat quī statim ēsse incipiās.

*Dominus.* Gratiās. Abire tibi licet. [*Noctuīnus exit; dominus sēcum loquitur.*] Ah! hodiē iēlūnus sum, ut  
vēnatōrem decet. Sed nīl dulcius est quam bonō eibō  
famem dēpellere. [*Gruem avidē dēvorāre incipit; alterō crūre dēvorātō alterum ē lance frūstrā quaerit.*] Mīrum!  
ūnum modo crūs dēvorāvī, sed alterum nōn videtur  
adesse. Noctuīnum rogābō num tōtam coixerit gruem.  
[*Noctuīnum accit, qui intrat.*] Num tōtam coexistī gruem,  
ut iussi? Dēest alterum crūs.

*Noctuīnus.* Ita enim vērō, domine, tōtam gruem coxi,  
sed nōnne scīs gruēs singula modo habēre crūra?

*Dominus.* Nūgās nārrās, scelestum caput! Putō tē  
ipsum alterum crūs dēvorāsse.


*Noctuīnus.* Minimē vērō! Ego nōn dēvorāvī, ita  
vīvām; sed prō certō habeō gruēs singula modo habēre  
crūra. Saepenumērō eās vīdī singulīs crūribus apud  
stāgnūm stantēs. Nōnne ipse vīdistī?

*Dominus.* Fābulae! Nē vīvām, sī gruēs singula modo  
habent crūra. Crās ad vēnatōnēm mēcum venies, et tibi  
mōnstrābō eās bīna habēre crūra.

SCAENA TERTIA.—*In agrīs.*

[*Dominus et Noctuīnus equīs vecti intrant.*]

*Dominus.* Undique ērumpunt ferae, sed eās hodiē nōn  
persequar. Nihil nisi gruēs vidēre volō.



Dominus Noctuīni aprum interficit


*Noctuīnus.* Ecce ! domine ! Vidēsne gruēs illās apud stāgnū ad laevam stantēs ? Ut dixī, singula modo habent crūra. [ *Noctuīnus digitō gruēs dēmōnstrat, quae, ut solent, singulis crūribus apud stāgnū stant.* ]

*Dominus.* Videō eās. Ut dixistī, singula modo habēre crūra videntur. Sed nōn omnia tālia sunt quālia videntur esse. Spectā eās nunc. [ *Dominus plausum manib⁹ dat ; gruēs bīnīs crūrib⁹ dēmissis statim āvolant.* ] Quot crūra nunc habent ?

*Noctuīnus.* Priusquam plausum manib⁹ dedistī, domine, singula habebant crūra, sed nunc, cōfiteor, bīna habent.

*Dominus.* Quid igitur dē grue quam herī mihi appo- suistī ?

*Noctuīnus.* Únum modo habēbat crūs, nam plausum manib⁹ nōn dedistī. Si plausum manib⁹ herī dedissēs, inveniessēs tuam quoque gruem bīna habēre crūra.



## SACERDŌS.

## DRĀMATICI PERSōNÆ.

Noctuīnus (cliēns).	Sacerdōs.
Princeps (patrōnus).	

SCAENA PRIMA.—*Aedēs rēgiae.*

*Princeps.* [ *Sēcum loquitur.* ] Ut mē taedet hūiū magnificētiae aedium rēgiārum ! Licet in aureō lectō, strātō pulcherrimē textili strāgulō, recumbam, licet omnipotentem prīncipem assentātōrēs mē appellent, sed equum illum, quem cupiō, adipīscī nōn possum.

*Noctuīnus.* [ *Ad prīncipem salūtandī causā intrat.* ] Veniam, clārissime, mihi dā quod hodiē sērus tē salūtō. Nimis diū dormiēbam, sed simul ac experrēctus sum ad tē festīnō, ligulīs, ut vidēs, dīmissīs.

*Princeps.* Gaudeō quod tandem advēnistī : Ceteri iam abiērunt salūtātōres et tū fortāsse beneficium mihi praebēre poteris.

*Noctuīnus.* Quod poterō laetus faciam. Dic, quaeſō, quid cupiās.

*Princeps.* Beātumne mē esse putās ?

*Noctuīnus.* Et māximē quidem manifestō. Spectā unguenta, corōnās ! Odōrēs incenduntur ; mēnsae conquisitissimis epulis exstructae sunt ; eximiā formā puerī nūtum tuum intuentēs diligenter ministrant. Num quid aliud optās ?

*Princeps.* Equum, quem sacerdōs quīdam mihi vendere nōn volt.

*Noctuīnus.* Si sēria agis, clārissime, rem, precor, mihi expōne. Fortāsse auxiliō tibi esse poterō.

*Princeps.* Auscultā igitur. In vīcō Tuseō sacerdōs quīdam habitat, quī optimum possidet equum.

*Noctuīnus.* [Interpellat.] Bene sciō, nam familiaris mihi est.

*Princeps.* Hunc equum emere cupiō, sed nūllō modō sacerdōtī persuadēre possum ut mihi vendat. Si tū tamen equum salvō honōre adipisci poteris, mille dēnāriōs tibi dabō.

*Noctuīnus.* Quantum est in mē, equum adipisci cōnābor. Cūrā modo prōmissis tuīs stēs. Statim ad amīcum mē cōferam; cum equum adeptus erō hūc redibō. [Exit.]

SCAENA SECUNDA.—*Villa sacerdōtis.*

*Noctuīnus.* [Intrat.] Dī tē ament, sanctissime vir! Ut redolet pācem ac bēatitudinem villa tua!

*Sacerdōs.* Pāx deōrumst, amīce. Salvus sis tū quoque. Sed si villa tibi placet, cūr nōn saepius adventās? Trēs annī sunt ex quō hūc advēnistī.

*Noctuīnus.* Multis negōtiis occupātus rārissimē in otium mē recipere possum. Hodie tamen cum otiosior sim, facultate tecum colloquendī laetus fruar.

*Sacerdōs.* Recumbe igitur, et sermōnēs oppidānōs mihi nārrā.

*Noctuīnus.* Nil mihi iūcundius. Caput et pēs sermōnis oppidānī sunt quadrigārum certāmina, in Circō Māximō. Nihil est in ore, in sermōne cūiusquam nisi factiō veneta, factiō russāta. Taedet mē audire.

*Sacerdōs.* Nōnne bene dicit Horātius nōster? Meministī scilicet—

'Sunt quōs curriculō pulverem Olympicum  
collēgisse iuvat, mētaque fervidīs  
ēvitāta rotis palmaque nōbilis  
terrārum dominōs ēvehit ad deōs.'

*Noctuīnus.* Rēctē admonēs. Sed strepitūs ac clāmōrēs



Māgnificentia aedium rēgiārum

spectatōrum tantī sunt ut aurēs omnium perstringantur. Simul atque quadrigae ē carceribus in stadium sē effundunt, omnēs surgunt spectatōres; strepitū clāmōribusque faven-tium aliī aliās factiōnēs incitant. Herī modo ad Circum Māximum mē contulī, et clāmōrēs adhuc audīre videor.



*'Sunt quōs curricūlo pulverem Olympicum collēgisse iuvat, mētaque fervidīs ēvitāta rotīs.'*

Sacerdōs. Hoc quoque Horātius noster bene dēscribit, namque dicit—

Gargānum mūgitre putēs nemus aut mare Tuscum, tantō cum strepitū ludī spectantur et artēs.

Noctuīnus. Semper aliquid aptūm atque idōneūm ē poētis commemorās. Utinam tam bonus essēs medicus quam homō litterātus! Nōn enim bonā sum valētūdine.

Sacerdōs. Pallidō quidem es aspectū. Num dolōrem quemdam sentīs?

Noctuīnus. Nōn dolōre, sed vertigine afficior. Vix stāre possum.

Sacerdōs. Domum hodiē nōn redībis, sed apud mē manēbis.

Noctuīnus. Grātiās tibi agō. Nihil nisi cubitum ire volō.

[*Exeunt ūnā.*]

SCAENA TERTIA.—*Cubiculum Noctuīni in villā sacerdōtīs.*

[*Sacerdōs māne intrat: Noctuīnus in lectō cubat.*]

Sacerdōs. Salvē, Noctuīne. Spērō tē hodiē meliōre esse valetūdine. Dormiistīne bene?

Noctuīnus. Salvus sis tū quoque. Vereor nē gravi morbō affectus sim. Vix ūnam hōram dormīre poteram. Ex capite, ex ventre labōrō; corpus nunc frigidū, nunc calidū sūdat . . .

Sacerdōs. Timeō nē febrem habeās. Est mihi liber Hippocratis quī dē morbi multa scripsit. Quaeram igitur nunc.

[*Exit.*]

Noctuīnus. [*Sēcum loquitur.*] Callidē nunc rēs mihi est agenda. Crēdit mē rē vērā aegrōtāre, sed necesse est efficere ut crēdat mē mox moritūrum esse. Dīs grātiās agō quod, homō nimis litterātus, librum, nōn medicūm, quæsīvit.

Sacerdōs. [*Cum māgnō librō redit.*] Si placet tibi, quid Hippocrates dē febre scripserit recitābō.

Noctuīnus. Graecām linguām nōn intellegō. Sed ipse perlege, deinde mihi dīc quid sit faciendum. Fidem tibi habēbō.

[*Ambō tacent, dum sacerdōs Hippocratem legit.*]

Sacerdōs. [*Librum dēpōnit.*] Sanguinem oportēre mittere dicit. Sed opus erit medicō. Arcessam sine morā.

Noctuīnus. Nē fēceris, amīce. Medicīs diffidō. Si quis sanguinem mihi miserit, sine dubiō moriar.

*Sacerdos.* Nōlī stultum tē praestāre. Officium medicī est aegrōtantes sānāre, nōn interficere. Sanguine missō, multō meliōre eris valētudine.

*Noctuīnus.* Si certum est tibi medicum arcessere, tibi obstāre nōn possum. Sed ad mortem mē parāre possum. Priusquam medicum arcessās, aliquid tibi dīcere volō.

*Sacerdos.* Nōnne iocāris ?

*Noctuīnus.* Nōn iocor, sed sēria dīcō. Sacerdos es tū, et priusquam moriar scelus quoddam tibi cōfiterī volō. Sed priusquam nārrem, fidem mihi dā tē nēminī alii nārrātūrum esse.

*Sacerdos.* Scelerā quae cōfessus est aliquis numquam licet sacerdōti aliis nārrāre. Si sacerdos ita faciat, Pontifex Māximus eum cōgat sē abdicāre.

*Noctuīnus.* Auscultā igitur. Fōrmōsa est tibi ancilla. [ *Spirītum māgnā cum difficultāte haurit.* ] Hanc quinquiēs in templō osculātus sum.

[ *Vi dēficiente, supīnus in lectō recumbit.* ]

*Sacerdos.* Medicum arcessam.

[ *Exit.* ]

*Noctuīnus.* [ *È lectō celeriter salit.* ] Ad ancillam, ita vīvam, prius ibit, et eam osculātiōnis accūsabit. Culina subest ; audīre poterō. Bene ! culīnam adit ; eum audiō ancillam alloquentem. Ancilla scīlicet negat ; iurgium oritur. Deōs immortālēs ! Ancillam baculō verberat ! Nunc mihi dēscendendum est.

[ *Per scālās dēscendit et sacerdōtem ex imprōvīsō aggreditur.* ]

*Sacerdos.* Dī nōs servent ! Estne Noctuīnus an larva ?

*Noctuīnus.* Nē timueris. Mirābile dictū, subitō convaluī, iam mihi est mēns sāna, ut prōverbium, in corpore sānō. Itaque statim discēdere cupiō. Sed tē reprehendō quam māximē quod scelus quod tibi cōfessus sum aliī nārrāvisti. Ad Pontificem Māximum statim ibō, et tē apud eum malae fidei accūsabō. Compellēris tē abdicāre.



Pontifex Māximus

*Sacerdos.* Di mē perdidērunt! Quōmodo, precor, tibi persuādēre possum nē hoc faciās? Centum dēnārios tibi dabō, sī mē nōn accūsabis.

*Noctuīnus.* Equum tuum mihi dā, sī nōnvis mē ad Pontificem Māximum ire. Nullō aliō modō prōhibēre potes nē eam.

*Sacerdos.* Ō mē miserum! Pretiōsissimus āc mīrabilis est equus, sed tibi dabō sī poscis.

[*Noctuīnus equum ad p̄incipem dūcit, quī mille dēnārios ei dat.*]

## RŪSTICUS.

### DRĀMATICI PERSōNAE.

Noctuīnus noster. Rūsticus, qui haedum ad  
Comes primus. macellum dūcit.

Comes secundus.

### SCAENA PRIMA.

[*Noctuīnus, cum duōbus comitibus, animi causā iter facit; rūsticō oblīam cūnt.*]

*Noctuīnus.* Vidētisne rūsticum illum, qui equō vehitur?  
*Comes primus.* Illumne dīcis cūius equum haedus ā  
tergō sequitur?

*Noctuīnus.* Ita enim vērō. Tintinnābulum ē collō  
haedī est suspēnsū, ut rūsticus dum sonum audit haedum  
adesse sciat.

*Comes secundus.* Quid autem ad nōs hic rūsticus, et  
equus, et haedus, et tintinnābulum?

*Noctuīnus.* Nihil, nisi quod documentum fortasse nōbīs  
dabunt mē vēra prōnūtiāre sī quando mē callidissimum  
post hominum memoriam esse dīcam.

*Comes primus.* Semper hōc modō glōriāris. Taedet nōs  
audīre. Si igitur rem probāre potes, statim probā.  
Grātūm nōbīs faciēs.



Haedus rūsticī.

*Comes secundus.* Rem tandem inter nōs compōnāmus.

*Comes primus.* Ut vōbīs mōnstrēm mē omnium esse  
callidissimum, hunc haedum rūsticō insciō auferam . . .

*Comes secundus.* Atque ego, ut callidissimum mē esse  
probem, ipsum equum quō rūsticus vehitur auferam . . .

*Noctuīnus.* Sed ego, quō mē callidiōrem vōbīs esse  
mōnstrēm, ipsās vestēs, quās rūsticus fert, auferam.

*Comitēs.* Hīs conditiōnibus tē prōvocāmus. Finem  
faciēmus contrōversiae.

## SCAENA SECUNDA.

*Rūsticus.* Ubi sit macellum nesciō, sed oppidānum quemdam aspiciō, qui certiōrem fortāsse mē faciet.  
[*Comiti primō appropinquat*] Salvē, bone vir. Potesne mihi dicere ubi sit macellum ?

*Comes primus.* Salvus sis tū quoque. Si paululum prōgrediēris, macellum ā dextrā vidēbis.

*Rūsticus.* Grātiās tibi agō quam māximās.

[*Rūsticus prōgreditur ; comes primus haedum clam aufert et tintinnābulum ē collō haedī ablātum caudae equī affigit.*]

*Comes primus.* [Ā tergō susurrat.] Tintinnābulum dum audit rūsticus haedum sequī putābit.

*Rūsticus.* [*Sēcum loquitur.*] Optimum erat cōnsilium tintinnābulum ē collō haedī suspendere, namque dum sonum auribus accipiō, etiam si nōn respiciō, haedum sequī sciō. Mirus tamen videtur esse tintinnābuli sonus; fortāsse tintinnābulum nōn liberum pendet, sed barbā haedī implicitum est. [*Respicit et haedum ablātum esse percipit.*] Deōs immortāles ! Ô mē miserum ! Quid hoc videō ? Für quīdam haedum abstulit, et tintinnābulum caudae equī affixit. . . .

*Comes secundus.* [*Accurrēns.*] Nōnne haedum āmīsistī, bone vir ?

*Rūsticus.* Ita, ita, dī tē ament. Abōminandus quīdam für. . . .

*Comes secundus.* Omnia sciō ; namque currentem quemdam vīdi qui haedum fūne trahēbat, rapiēbat. Fūrem esse putāvī, namque . . .

*Rūsticus.* Ubi est ? Dīc mihi, precor, ubi vīderis.

*Comes secundus.* Ā dextrā per agrōs celeriter currēbat. Curre tū quoque, fortāsse fūrem cōsequī poteris ; ego equum tenēbō.



Ego equum tenēbō

[*Rūsticus ex equō dēscendit; equum comiti secundō commendat et per agrōs currere incipit. Comes secundus equum abducit. Mox rūsticus omnīnō dēfatigātus redit.*]

*Rūsticus* [Anhēlāns.] Fugitivūm cōsequī nōn poteram. Effūgit, evāsit, evānuit. Male sit ei. . . . Sed heus tū qui equum meum tenēs, ubi es? O mē miserrimum, stultissimum! Neque hominem neque equum vidēre possum. Fraus fraudū addita est. Alter haedum, equum alter abstulit. Rūsticus ab oppidānis dēceptus sum. Sed nunc pedibus domum eundum est. Quō tristior, eō prūdentior sum.  
[Exit.]

## SCAENA TERTIA.

[*Rūsticus domum rediens Noctuīnō nostrō apud stāgnūm sedentī obvius fit.*]

*Noctuīnus.* [Pectus plangēns.] O mē miserum! Miserrimus sum mortālium. Quid agam nesciō.

*Rūsticus.* [Misericordiā commōtus.] Quid reī est? Quid tibi accidit, quod hōc modō plorās?

*Noctuīnus.* Salvē, hospes. Benignus esse vidēris, et grātiās tibi agō quod mē adiuvāre vis, sed nōmo id facere potest. Omnipotens perditus sum. Dominus mē interficiet. O mē miserum! āctum est dē pelle meā.

*Rūsticus.* Expōne saltem quid tibi acciderit. Ipse dolōrum nōn expers fortasse auxiliō tibi esse poterō.

*Noctuīnus.* Utinam possēs! Sed saccus, qui mille dēnāriōs continēbat, ē manibus meīs in hoc stāgnūm est delāpsus . . .

*Rūsticus.* [Interpellat.] Tālem rem restituere facillimum est. Tū nōn miserrimus mortālium es, sed ego qui haedum et equum meum āmis̄erim. Für quīdam haedum clam abstulit, deinde dum eum capere cōnor, alter für

equum mihi abstulit. Sed tēcum multō melius rēs sē habet. Scis ubi saccus tuus sit; modo necesse est tē in stāgnūm immērge et pecūniā recipiēs.

*Noctuīnus.* Sed natūre nōn possum. Tibi tamen dīmidiam pecūniā dabō, si sacrum mihi recēperis.

*Rūsticus.* Saccum hōc pactō recipiam. Fac ut prōmissis stēs, nam pecuniā mihi opus est, ut novum equum emam.

[*Rūsticus vestēs exuit et sē in stāgnūm immērgit; quib⁹ factis Noctuīnus cum vestib⁹ rūstici celeriter abit.*]

## VALĒTŪDINĀRIUM.

## DRĀMATIC PERSōNAE.

Noctuīnus (homō adultus). Praefectus valētūdināriō. Hominē aeger.

SCAENA PRIMA.—Extrā aedēs Noctuīnī in vīcō Tusco.

[*Noctuīnus titulum ad frontem aedium nūperrimē affixit.*]

Praefectus valētūdināriō. [Aedēs practerit et titulum adspicit.] Quid hoc videō? Num domus locātur? [Titulum perlegens.] ANIMADVERTITE AEGRī. HIC HABITAT MEDICUS QUI OMNĒS AEGRōTANTĒS INTRĀ TRĒS DIĒS SĀNĀRE POTEST. Hem! magna prōnūntiat. Utinam ego possem! nōn tam cōnfertum aegrīs hominibus mihi esset valētūdinārium. Sed ut rēs nūne sē habent, diēs noctēsque excrucior, dum quid sit faciendum dēliberō. Hominē alloquī certum est. [Clāmat.] Heus! Esne tū ēgregius ille medicus?

*Noctuīnus.* Medicus sānē sum, cēterīs, ut spērō, nōn dēterior.

*Praefectus valētūdināriō.* Multō sapientior es ceteris medicis, si rē vērā id facere potes quod prōnuntiat titulus hic. Sed ego nōn crēdo.

*Noctuīnus.* Nōn est culpa mea, si tū nōn crēdis. Medicus sum, nōn orātor: officium meum est aegrōtantēs sānāre, nōn ignāris persuādēre vērum esse incrēdibile. Sed quōcumque modō aegrōtās, intrā trēs diēs tē sānābo.

*Praefectus valētūdināriō.* Ipse nōn aegrōtō, dīs grātias agō; est mihi, ut prōverbium, mēns sāna in corpore sānō. Sed praefectus sum valētūdināriō, quod replētum est aegrōtantibus. Immō vērō tot aegrī adsunt ut quid agam nesciam.

*Noctuīnus.* Experīmentum igitur sollertiae meae fac. Ad valētūdinārium tēcum veniam; aegerrimum quemque breviter interrogābō, ut quālis morbus sit cuīque inveniam. Deinde nisi omnīnō dēsertum āc vacuum intrā trēs diēs erit valētūdinārium, mille dēnāriōs tibi dabō. Si tamen vacuum erit, tē oportēbit mille dēnāriōs mihi dare. Spondēsne?

*Praefectus valētūdināriō.* Spondeō. Fāmus ūnā.  
[Exeunt.]

### SCAENA SECUNDA.—*In valētūdināriō.*

[*Noctuīnus et praefectus intrant.*]

*Aeger quīdam.* Dī deaeque tē perdant! Decem iam diēs cubō cruciātū exquisitissimō affectus, sed tū neque remedium neque sōlāmen attulisti. Nōn valētūdināriō praefectus esse dēbēs, sed sepulcrīs.

*Praefectus.* [*Aegrūm alloquitur.*] Iterumne quereris, queribunde? Etiam si Aesculāpius ipse tē cūrāret, tibi nōn satisfaceret. Sed doctissimum medicum tibi addūcō, qui prōmittit sē intrā trēs diēs omnīnō tē sānātūrum esse.

*Aeger.* Dī tē pessum dent, quod hominem miserum et aegrūm ita irrīdes!

*Noctuīnus.* Nōn tē irridet, bone vir, sed vēra dīcit. Quōcumque morbō affectus es, intrā trēs diēs tē sānāre possum. Dīc igitur quālis sit tibi morbus.

*Praefectus.* [*Noctuīnum alloquitur.*] Dum aegrōtantēs interrogās, ego abībō alia negōtia cūrātūrus. [Exit.]

*Noctuīnus.* [*Apud lectum hominis aegrī cōnsidit.*] Mīrāris scilicet quod tibi dīxī, vērum tamen est. Plērius medici artem suam ignōrant, ego tamen medicāmentum mīrabilissimum excōgitāvī, quod omnēs morbos sānāre potest. Mīra nātūra hūius medicāmentū, sed dīrus est modus faciēndī. Necesse enim est ex hūmānō cinere faciam, atque ut cōpiam mihi renovem ad hoc valētūdinārium hodiē vēnī. Unum igitur ex vōbis capiam, ignīque combūram, ut ē cinere ēius medicāmentum faciam. Quōmodo igitur sim actūrus, auscultā. Apud iānuam stāns māgnā vōce ‘Exīte sānī’ exclāmābō, deinde eum capiam qui ultimus exierit, atque medicāmentum ē cinere ēius faciam.

[*Aeger terrōre percūlus pallidus in lectō iacet, dum Noctuīnus omnēs lectōs vicissim adit, atque eadem ūnicūque aegrōtantium expōnit.*]

Nunc omnēs intellegitis quid sim actūrus. Iānuae iam appropinquō, iam ‘Exīte sānī’ exclāmō. Occupet extrēmum scabīes.

[*Quibus audītis, omnēs aegrī quam cclerrimē ē lectis prōsiliunt et per iānuam ruunt, nam nēmo ultimus esse volt.*]

*Praefectus.* [*Sonum impetus audit et redit.*] Quid accidit? Ubi sunt hominēs aegrī?

*Noctuīnus.* Ecce! valētūdinārium vacuum āc dēsertum! Mille dēnāriōs mihi dēbēs.

## SIMULĀCRUM.

## DRĀMATICI PERSONAE.

Noctuīnus, qui hospes est. Convīvae complūrēs.  
Simulācrum.

## SCAENA PRIMA.

[Extrā villam Noctuīni in summō Iāniculō sitam.]

Noctuīnus. [Convīvās excipit.] Salvēte omnēs ! Salvōs  
gaudeō vōs advenire.

Convīva primus. Salvē, bone hospes ! Ut laetus tē  
aspicio !

Convīva secundus. Ut iūcunda sunt haec loca, hortis  
Hesperidum beātiōra !

Noctuīnus. Rēcte dīcis, et rēcte dīcit Mārtialis poēta  
quem commemorās :

Hinc septem dominōs vidēre montēs  
et totam licet aestimāre Rōmam.

Convīva tertius. [Digitō dēmōstrat.]  
Fidēnās veterēs brevēsque Rubrās !

Convīva secundus.

Specta ! Flāminiae Salāriaeque  
gestātor patet essedō tacente.

Convīva primus. Beātus es, Noctuīne, qui tam pulchram  
villam ēmeris. Num māgnī tibi cōstituit ?

Noctuīnus. Minimē, parvī pretiū villam spatiōsam,  
hortum amoenum, ēmī. Speciē quidem omnia sunt  
pulcherrima, subest tamen aliquid malī. Nōn omnia talia

sunt quālia videntur esse. Sed ad cēnam properēmus,  
nam post cēnam ālēa nōbīs erit lūdendum. Nē tempus  
igitur perdāmus.

Convīva tertius. Statim villam intrēmus. Nīl mihi  
iūcundius est quam ālēa mē oblectāre.

[Omnēs villam intrant.]

SCAENA SECUNDA.—Post cēnam ālēa lūdunt  
convīvāe.

Convīva primus. Iam licet ālēae indulgēre.

Noctuīnus. Ecce fritillus et tesserae ! Dēponite loculōs  
ad tabulam et cōnsidite omnēs. Ego positā arcā lūdam.

Convīva tertius. Ego quoque. Dā mihi fritillum.  
Primus iaciam. [Fritillō quassatō tesserās in tabulam  
iacit.] Ūniō ! Ūniō ! Ūniō ! Mē miserum ! Ut dīcit  
Propertius poēta :

Mē quoque per tālōs Venerem quaerente secundōs  
Semper damnōsī subsiliūre canēs.

Convīva secundus. Nunc ego iaciam. Venus exsiliat !  
Euge ! Euge ! Sēniō, sēniō, sēniō.

Convīva primus. Arbiter bibendī creātus es. Dic quā  
ratiōne sit bibendum.

Noctuīnus. Nōlī parcere vīnō. Advenīte, puerī !  
[Plausum dat manibus.] Quadrīnum dēprōmite Falernum.

Convīva secundus. Cum hospes vetet vīnō parcere  
mīscēte, puerī, novem merī cyathōs cum tribus aquae.  
Genīō indulgēbimus.

Noctuīnus. Bene fēcisti. Macte virtūte ! Nunc fritillum  
mihi dā. [Iacit.] O mē miserum ! Canis exsiluit. Iterum  
trēs dēnāriōs in medium cōferam.

[*Diū ludunt aleatōrēs: tesseris iactatis, ut quisque canem aut seniōnem mīserat, in singulās tesserās singulōs dēnāriōs in medium cōferēbat, quōs tollebat ūniversōs qui Venerem īcērat. Nec fortūna Noctuīnō favēbat, quī mox mille dēnāriōs perdidit.*]

*Noctuīnus.* Veniam, amīci, mihi date si paululum vōs relinquo. Necessē est praecepta quaedam servīs dem.

[*His dictīs Noctuīnus exit et servō cuīdam fidēlī imperat ut candidā veste amictus triclinium intret atque brāchiūs extentis larvæ instar perambulet. Ipse ad aleatōrēs reddit.*]

*Convīva tertius.* Bene! nōn multum perdidī. Sed ecce! hospes noster iam redit. Velim, Noctuīne, dē villā tuā audire, namque meminī tē ante cēnam dīxisse aliqūd malī subesse. Visne nōbis dīcere quid sit?

*Noctuīnus.* Nōn equidem recusō. Villa enim infamis est; larva hīc habitat: per silentium noctis sonitus ferrī catēnārumque auditur: mox appāret simulācrum candidā veste amictum, quod brāchiūs extentis per triclinium perambulat.

[*Omnēs animū Noctuīnō attendēbant, nec servū intrāre vidēbant, sed subitō simulācrum adesse percēperunt.*]

*Convīva pīmus.* Iūppiter nōs servet! Simulācrum adest! Spectāte ad laevam!

*Convīva secundus.* Nōn dubium est quīn simulācrum sit. Ut terribile est aspectū!

*Convīva tertius.* Effugīamus ūversi!

[*Convīvae sēsē in fugam dant. Noctuīnus autem manet et pecūniām, quam quisque suā apud sēdem reliquerat, celeriter colligit et in arcā suā dēpōnit.*]




Advenīte, pueū! Quādūnum dēprōmite Falorum

*Noctuīnus.* [ *Clāmat.* ] Redīte, amīci. Ēvānuit simūlācrum.

[ *Convivae redeunt, sed nūllam pecūniām inveniunt.* ]

*Convivae.* [ *Unā rōce loquentēs.* ] Ut terruit nōs ! Gaudēmus quod ēvānuit. Cōnsidāmus. Oh nōs miserōs ! Ubi est pecūnia nostra ?

*Noctuīnus.* Tōtam pecūniām abstulit simūlācrum.



24070